



Prot. N. 03142/2023-413/23/I

## DECRETUM

*PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus nuper allatis a Rev. dis Patribus Ministris Generalibus ex Conferentia Franciscanae Familiae, in octingentesimo inventi anniversario Praesaepis, quod anno MCCXXIII Sanctus Franciscus Assisiensis in Graecio fecit primus, de caelestibus Ecclesiae thesauris benigne concedit plenariam Indulgentiam suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et oratione ad mentem Summi Pontificis) a christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis, a sollemnitate Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis, die VIII Decembris MMXXIII usque ad diem festum Praesentationis Domini, II Februarii MMXXIV lucrandam, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si quodlibet templum Franciscanae Familiae totum per orbem terrarum spectans, turmatim vel singillatim in forma peregrinationis inviserint et iubilantibus ritibus devote interfuerint, vel saltem coram Praesaepi ibi parato per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendum Oratione Dominica, Symbolo Fidei invocationibusque Sanctae Familiae Iesu, Mariae, Ioseph et Sancti Francisci Assisiensis.*

*Senes, infirmi omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi poterunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si iubilantibus celebrationibus se spiritaliter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordiam Deo oblatis.*

*Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentia enixe rogat ut Patres ex Franciscana Familia, prompto et generoso animo, celebrationi Paenitentiae sese praebeant.*

*Praesenti pro hac vice tantum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.*

*Datum Romae, ex aedibus Paenitentiae Apostolicae, die XIV mensis Novembris, anno Dominicae Incarnationis MMXXIII.*

*Maurus Card. Diacone*

*Antoniophorus Nybil  
Reperis*